telas uentris egestione componere. ſic et anima proficiens ex flagello dei debet terrena relinquere. et uirtutum
ſibi telas texere. Verumtamen uane conturbatur omnis homo. Licet inquit corripiatur per flagella et ad uirtu
tum opera proficiat. Verumtamen quamdiu uiuit uane conturbatur. quia diuerſis curis confunditur. Exaudi ora
tionem meam et deprecationem meam. Cum inquit uita mea uane conturbatur. et ſemper incerta fit. Exaudi orationem meam
et deprecationem meam. id est preces oris et deſiderium cordis. Omnia nobis incerta ſunt. ſola mors certa. Cuius tamen dies.
ſemper incertus est. Ergo auribus percipe lacrimas meas. Lacrime uidentur non audiuntur. Lacrimas ergo dicit cordis ge
mitum. que cum ſint inuiſibiles. lacrimas torquunt uiſibiles. Petit ergo ut hunc exaudiat dominus. Ne ſileas quoniam
aduena ego ſum apud te. Ne ſileas. hoc est loquere mihi in corde. et dic anime mee ſalus tua ego ſum. ut etiam
confide fili dimittuntur tibi peccata tua. Quoniam aduena ego ſum apud te. et peregrinus ſicut omnes patres mei. hoc
poteſt dicere omnis qui exulem a paradyſo cognoſcit. et patriam requirit. et ideo petit conſularia domino. Remitte
mihi ut refrigerer. Dimitte inquit peccata mea dum adhuc uiuo. ut remiſſionem peccatorum prius quam ha
beam. id est antequam moriar. Niſi enim uiuenti dimiſeris et cum peccato mors ſuperueniens me preoccupauerit amplius
non ero. quia uerum per dici eſſe. et male eſſe. non eſſe eſt.

Expectans expectaui dominum.

In hoc pſalmo loquitur eccleſia ex omnibus gentibus congregata. laudans dominum et gratias agens quod eam de erroribus
et cupiditatibus ſeculi liberauerit. atque in ſoliditate fidei et uirtutis ſtatuerit. ſimulque quod ei patientiam tolerandi
aduerſa tribuerit. Expectans inquit expectaui dominum. Non uacat quod dicit. Expectans expectaui. Nam expec
tando expectare eſt totum ſe deo committere. et eius miſericordiam humiliter ſuſtinere. Sunt enim qui quaſi expectant
ſed non expectantes. quia terrena et temporalia a deo requirunt. Et intendit mihi. id est conſulendo et miſerando atten
dit. Et exaudiuit preces meas id est deſiderium cordis mei. et eduxit me de lacu miſerie. et de luto fecis. Lacum miſerie
et lutum fecis profundam errorem iniquitatem et ſordidam cupiditatem. In quibus ceno condam per ignorantiam ueritatis
demerſerat eccleſia. Et ſtatuit ſupra petram pedes meos. Petram firmitatem fidei. Pedes uero actiones dicit uel men
tis intentionem. Greſſus autem profectus uirtutum. Direxit greſſus quia a prauitate erroris ad rectitudinem eam
conuertit ueritatis. et notandum quod ſicut prius eſt mala deſerere. deinde bona facere. Ita nunc prius
dicit ſe ereptam miſerie de lacu deinde ſupra ſoliditatem ueritatis conſtitutam. Et inmiſit in os meum canticum
nouum. Canticum nouum predicationem dicit euangelii que innouat uel que ſeculis ante fuerat inaudita. Carmen
deo noſtro. Carmen id est laudem ut hymnum deo noſtro id est christo ſaluatori. Quod ideo dicit quia ſolebant pagani falſis
carmina canere. Carmen autem ubique ſic et canticum pro letitia ponitur. Iuxta quod Iob dicit. qui dedit
carmina in nocte. id est letitiam in tribulatione. Videbunt multi et timebunt. et ſperabunt in domino. Vide
bunt meam immutatam conuerſationem et timebunt peccare. ſiue uidebunt miracula et ſigna que per apoſtolos facta ſunt et ſalubriter
timebunt. atque ab erroribus conuerſi incipiant ſperare in domino. Beatus uir cuius eſt nomen domini ſpes eius. Nomen domini ihesus eſt
id est ſaluator. ille ergo ſpem habet nomen domini qui ſe in fide nominis eius credit eſſe ſaluandum. hoc autem genus locutionis
proprium eſt diuine ſcripture. et non facile in humanis libris reperitur. Et non reſpexit in uanitates. Vanitates dicit
ſeculi deſideria et cupiditates que uana ſunt et tranſitoria. Inſanias autem falſas ſuperſtitiones dicunt idolatrie.
Beatus ergo ille eſt qui non reſpexit id eſt non eſt uerſus in inſanias falſas. hoc eſt idola ſiue ſpectacula diabolica que ideo
inſanie dicuntur quia ab inſanis et perditis aguntur. Multa feciſti domine deus mirabilia tua. Senſus talis eſt. tu inquit
deus multa feciſti mirabilia que homines mirari deberent. uidelicet ſtabilem celi uertiginem ordinatiſſimum
ſiderum curſum. hec et huiuſmodi mirabilia in celo et in terra feciſti. que miſeri homines non curant neque
attendunt et mirantur ſcenicas ſaltationes et effeminatas geſticulationes ac diabolica figmenta
feciſti etiam mirabilia tua qui ante ſecula predixiſti per prophetas futura et in fine ſeculi per temetipſum aparendo
noua et ſeculis inaudita miracula perpetraſti cum pedibus ſuper mare ambulaſti. mortuos ſuſcitaſti alia in
numera ſigna ſigne feciſti. hec enim ſunt chriſtiana ſpectacula hec aſſidue mirari et dominum in his etiam conuenit
laudare. Et in cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi. hoc eſt in preſcientia et diſpoſitione tua non eſt quis. id eſt nullus